

Utrum creata relatio dicat realitatem aliquam distinctam a fundamento proprio.

Arguitur quod sic. Omnis realitas separabilis ab aliquo est distincta ab illo. Sed relatio est aliqua realitas separabilis a fundamento proprio, igitur, Maior patet ex terminis, sed minorem ponit Commentator tertio celi et mundi, commento 9 dicens "comparatio est accidens separabile a re, igitur comparatio que non est aliud quam quedam relatio est alia res a suo fundamento".

Ad oppositum arguitur sic: illud quod alicui advenit sine sui mutatione aut compositione aut qualibet aditione reali non est res ab eo raliter distincta. Sed relatio advenit fundamento sine sui mutatione aut additione aut compositione. Igitur maior nota ex terminis. Minor patet tum quia hoc dicit Philosophus in 5 Phisicorum, tum quia Boetius 1 De trinitate ait quod predicatio relativa non potest secundum se dici vel addere vel diminuere vel mutare aliquid circa illud de quo dicitur cum tota non in eo quod est esse consistat, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere et infra relationes nihil alterare vel mutare queunt nullamque essentiam omnino variare.

Respondeo (69rb) pro solutione questionis nota primo quod relationum sunt tres modi et differentie, quorum sufficientia sic potest haberi, quoniam sicut sunt tres differentie entis, scilicet unum et diversum, actus et potentia, perfectum et imperfectum, sic sunt tres modi relationum: primus modus dicitur modus unius et diversi, secundus modus actus et potentie, tertius modus measure et mensurati, sive perfecti et imperfecti. In primo modo ponuntur omnes relationes significate per modum unius et diversi, ut similitudo dissimilitudo, equalitas inequalitas, idemptitas diversitas etc. In secundo modo ponuntur relationes que significantur per modum actionis et passionis vel que originantur per facere et pati ut paternitas et filiatio et universaliter quelibet relatio que est inter principium et principiatum. In tertio modo ponuntur omnes relationes significate per modum measure et mensurati, perfecti et imperfecti ut refertur dominus et servus, scibile et scientia.

Hiis positis pono conclusiones.

Prima conclusio quod relatio in primo modo non dicit distinctam realitatem a fundamento proprio probatur tripliciter. Primo sic: si relatio primo modo dicta diceret distinctam realitatem a fundamento suo sequeretur quod essent actualiter res infinite consequens falsum 3 Phisicorum textu commenti 37. Ubi Philosophus negat infinitum actualiter, nec in hoc reprehenditur.

Probatur consequentia sic, quia si Socrates et Plato sint habentes duas albedines ille cum sint eiusdem speciei sunt similes, et tunc oportet ponere quod inter Socrates et Plato sint due similitudines, scilicet una que sit relatio subiective existens in Socrate que referatur ad Platonem et alia econverso. Non enim una sola potest poni, quia unum accidens numero in diversis subiectis esse non potest. Et ideo illa similitudo si esset in Socrate et non in Platone. Socrates non esset equaliter similis Platoni, sicut econverso. Oportet igitur quod sint due relationes, scilicet due similitudines inter Socratem et Platonem, tunc si iste similitudines sint res distincte a fundamentis possunt adinvicem comparari et sic erunt similitudines, quia equaliter referunt illa quorum sunt similitudines, et sic inter istas duas similitudines erunt alie due et sic erit processus in infinitum etiam per consequens erunt actualiter res infinite positus duabus rebus similibus, quod est contra sensum.

Secundo sic: si similitudo esset aliqua res accidentaliter existens in albo posito alio coalbo (69va) aut si equalis esset aliqua res accidentaliter existens in linea posita alia linea

eiusdem quantitatis sequeretur quod Deus posset sine contradictione duas albedines conservare annullando illam relationem que est res similitudinis sed et conservare duas lineas eiusdem quantitatis annullando illam rem equalitatis. Sed consequens est falsum, quia dato quod remanerent illa duo alba, aut due linee eiusdem quantitatis annullata qualibet alia re, et solum remanente intellectu angelico adhuc intellectus intelligeret illas duas albedines esse similes et illas duas lineas esse equales et non sine similitudine et equalitate, igitur. Consequentia patet, quia tunc Deus posset confluere ad conservationem albedinum, non confluendo ad conservationem alterius rei, et maxime potest conservare rem priorem sine re posterioris, ab ipsa realiter distincta.

Tertio sic: si similitudo esset alia aliqua res distincta a fundamento, sequeretur quod de sua omnipotentia non posset annullare muscam nigram existentem in Roma non mutando realiter muscam existentem Bononie. Consequens videtur absurdum. Et patet consequentia, quia annullata musca Rome annullatur similitudo que erat inter muscam existentem Bononie et illam. Et illa similitudo erat in musca Bononie. Secundum oppositum ponentes subiective et in alia terminative igitur ad anullationem illius sequitur annullatio alicuius realitatis existentis in musca Bononie. Igitur ipsius realis mutatio. Et confirmatur, quia talis relatio advenit alicui sine sui mutatione, ut docet experientia et ut ponit Philosophus 5 Phisicorum textu commenti 10. Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: relatio primi modi potest corrumpi manente fundamento potest multiplicari non multiplicato fundamento, igitur dicit aliam realitatem a suo fundamento. Consequentia tenet virtute primi principii de quolibet affirmatio vel negatio etc. Sed probatur antecedens, quia corrumpitur relatio similitudinis corrupto termino, dato quod remaneat fundamentum. Similiter multiplicatur multiplicatis terminis, dato quod non multiplicetur fundamentum, ut docet experientia igitur.

Secundo sic: si conclusio esset vera, sequeretur quod unio non esset ens reale, sed solum quod esset ens factum ab intellectu. Consequens falsum, quia tunc non esset realis unio nature humane ad verbum incarnatum. Et patet consequentia, quia unio est de relationibus primi modi.

Tertio sic: illa dicunt realitates divinas quorum unum augmentatur realiter alio non augmentato. Sed relationes primi modi sunt huiusmodi, igitur. Probatur minor, quia similitudo Socratis ad Platonem augmentatur solum augmentata minori similitudine Platonis et minuitur ipsa diminuta non obstante quod albedo Socratis non sit augmentata vel diminuta.

Respondeo: ad primum dico quod antecedens potest dupliciter intelligi. Primo modo quod illa res que est relatio corrumpatur non corrupto fundamento vel multipliciter non multiplicato fundamento. Et isto modo nego antecedens et concedo consequentiam. Alio modo quod illa res que est relatio vel similis desinat esse relatio vel similis, similiter quod illa res pluribus rebus assimiletur ipsa non multiplicata. Et sic concedo antecedens et nego consequentiam. Sicut dicimus quod creator potest desinere esse creator, nulla tamen redesinente esse vel potest plurium fieri creator ipso non multiplicato sic concedo in proposito argumento.

Ad secundum respondet Aureolus quod unio nature humane ad verbum non est habitudo de genere relationis, sed est quiditativa unio, cum filius Dei sit quiditative homo. Vel potest clarius dici quod illa unio non est aliud quam ipsa divina natura unita humane, nec ex hoc sequitur quod non sit realis unio, cum ipsa natura divina sit quid reale, immo realissimum. Et si dicas si ista unio non est aliud quam Deus et Deus fuit ab eterno, igitur, cum natura divina

fuerit ab eterno, etiam ista unio fuit ab eterno. Nego consequentiam, sicut istam creator non est aliud quam Deus et Deus fuit ab eterno, igitur Deus fuit creato ab eterno. Non valet enim consequentia et hoc ratione connotati extrinseci etc.

Ad tertium dico sicut ad primum. Secunda conclusio est quod relatio modi secundi non dicit realitatem distinctam a fundamento proprio. Probatur tripliciter.

Primo sic: ad oppositum istius conclusionis sequitur implicatio contradictionis, igitur conclusio vera. Probo consequentiam sic: omnem rem quam Deus potest facere mediante causa secunda efficiente potest per se facere sine causa secunda efficiente. Cum igitur in isto efficiente per te ponatur quidam respectus realis effective causatus a Deo mediante causa secunda potest Deus illum effectum facere absque hoc quod aliqua causa secunda aliquid efficiat simul cum Deo. Ponatur igitur in esse quo (70ra) dato sequuntur contradictoria. Quia si Deus efficiat istum respectum in isto, iste per illum respectum erit efficiens, quia sicut in quocumque est albedo illud est album, ita in quocumque est respectus efficientie, illud est efficiens, si est efficiens, igitur aliquid efficit sed per casum iste nihil efficit igitur simul iste aliquid efficit et non efficit, que implicant.

Secundo sic: illud non potest poni in natura per se distincta que non sit Deus que non habet aliquod productivum nec mediate nec immediate. Patet, quia aliter idem produceret se ipsum, contra Augustinum 1 De trinitate capitulo 1, sed paternitas, si ponatur res a patre distincta, non habet aliquod productivum. Igitur probatur minor, quia talis res, scilicet paternitas, si produceretur aut produceretur a patre, aut a filio, aut ab actione patris, aut ab aliquo extrinseco aut ab utroque, sed non a patre, quia tunc pater differretur relative ad paternitatem tanquam producens ad productum, quod non videtur. Nec a filio, quia quod filius causet in patre paternitatem videtur absurdum cum pater in quantum huiusmodi nihil habeat causam a filio. Nec ab actione. Quia actio non attingit active aliquod existens in agente. Nec ab aliquo extrinseco, nec ab utroque, quia hoc esset solum voluntarium dictum absque ratione.

Tertio sic: si ponatur casus quod Deus produceret de novo unum hominem, nullo alio existente, sicut fuit de Adam qui homo postea per generationem produceret alios homines, tunc arguo sic: omnem rem que est in aliquo istorum productorum hominum potest Deus de sua potentia absoluta facere in isto homine prius condito, sed filiatio est in aliquo istorum productorum que non est in ipso homo prius productus, igitur poterit Deus facere talem filiationem in isto homine prius condito et per consequens hoc posito iste homo prius conditus erit filius et non nisi hominis, et non est aliquis homo alius ab illo nisi iunior eo per casum, igitur iste homo erit filius iunioris se, quod contradictionem implicat.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: relatio secundi modi facit mutationem circa fundamentum suum, igitur. Consequentia nota, sed patet atecedens, tum quia paternitas facit mutationem in patre, unde Ambrosius I De trinitate capitulo 1 dicit quod si pater prius erat Deus et postea pater fuit utique generationis causa mutatus esset. Avertat autem Deus istam amentiam, tum quia Augustinus (70rb) dicit 5 De trinitate quod relationes in creaturis sunt accidens, in Deo vero non.

Secundo sic: si relatio non esset vera res, sequeretur quod persone divine non distinguere<n>tur realiter. Consequens falsum, quia pater tunc non est filius etc. Et patet consequentia, quia solum distinguuntur per relationes, ut patuit superius, quaestione 26, conclusione secunda.

Tertio sic: in creato supposito paternitas differt ab activa generatione. Igitur conclusio falsa. Patet consequentia, quia ipsum generare est fundamentum ipsius paternitatis, et antecedens est prima conclusio, quaestione 30.

Respondeo. Ad primum nego antecedens. Ad probationem dico ad Ambrosium quod ipse non dicit quod paternitas mutaret patrem, sed quod generatio per quam pater qui primo non erat pater fieret pater. Ad Augustinum dico quod relatio sit accidens in creaturis potest intelligi dupliciter. Uno modo quod illa res que est relatio sit accidens, et sic dico quod aliqua est accidens ut puta similitudo duarum albedinum et equalitas duarum quantitatum. Et aliqua que non est accidens, ut paternitas, que idem est quod pater: nec sic intelligit Augustinus. Alio modo quod illa res que est relatio potest esse et non esse relatio et sic dico quod intelligit Augustinus unde ait ibidem quod omnia que amitti possunt sunt accidentia in creaturis, et ideo quia pater potest esse et non esse pater, ideo dicit quod paternitas est sibi accidens. Et nihil aliud vult dicere nisi quod ista predicatio est per accidens et non per se: iste est pater.

Ad secundum concedo consequentiam, sed antecedens ego non pono. Non enim dico quod relatio sit solum ens factum ab intellectu. Immo dico quod paternitas est idem quod pater et sic est vera res. Similiter filiatio idem quod filius.

Ad tertium nego consequentiam, quia generare non est fundamentum paternitatis, sed ipse pater. Sed diceres contra: ex omnibus dictis tuis sequitur quod prima conclusio quaestionis secunde sit falsa, quia nulla res potest fundare se ipsam igitur nunquam relatio est suum fundamentum. Dico quod aliquid potest dici alicuius rei fundamentum dupliciter: uno modo vel quia est substantivum ipsius sicut substantia accidentis, et sic non capio fundamentum, vel quia est illud quod in recto significatur per tale nomen, et sic capio hic. Et ideo quia per paternitatem in recto ipse pater significatur, voco patrem fundamentum paternitatis non quod paternitas per patrem subtenetur.

Tertia conclusio est quod relatio tertii mo- (70va) di non dicit realitatem distinctam a fundamento proprio.

Probat tripliciter. Primo sic: si relatio mensura ad mensuratum esset vera res a fundamento distincta. Sequeretur quod essent actu infinite res realiter distincte in corpore pedalis quantitatis. Consequens falsum. Probo consequentiam, quia data pedali quantitate quero aut medietas eius est illa pars que dicitur relative ad totum, aut tertia pars eius, aut quarta pars aut quinta et sic in infinitum. Unde necesse est vel quod quelibet pars referatur ad suum totum et e converso, aut quod aliqua, aut quod nulla, sed certum est quod non potest dari quod nulla, nec quod aliqua magis determinata una quam alia, igitur relinquitur quod quelibet pars fundet relationem partis ad totum: si talis relatio sit aliqua res distincta. Sed in dicto pedali sunt infinite partes. Igitur et essent infinite relationes quod non bene capit intellectus.

Secundo sic, et est ratio ducens ad idem impossibile. Accepto signo pedali in duplum ad suam medietatem. Si igitur talis duplicitas sit aliqua res distincta a duplo eadem ratione et relatio qua ista medietas excedit suam medietatem est alia res et relatio quam medietas medietatis excedit suam medietatem est alia res, igitur in isto pedali erunt infinite tales res cum ibi sint infinite partes proportionales. Sed forte diceres ad argumentum quod partes ligni non sunt in actu, sed in potentia: et ideo ille relationes non sunt in actu, sed in potentia. Contra: ille partes sunt in rerum natura, quia aliter ens componeretur ex non ente, igitur relationes correspondentes illis partibus sunt in rerum natura, et per consequens infinite relationes sunt in isto ligno.

Tertio sic: si relatio tertii modi esset res distincta a fundamento sequeretur quod distantia esset res distincta a re distante et a medio. Patet consequentia, quia distantia est talis relatio. Sed consequens est falsum, quia tunc sequeretur quod ad motum digiti mei quodlibet corpus celeste mutaretur et quelibet pars eius, immo quod res infinite ex illo motu causarentur. Patet ista consequentia, quia moto digito statim quodlibet corpus celeste et quelibet pars eius haberet aliam distantiam ad digitum meum quam prius. Item quia a auqlibet parte cuiuslibet corporis celestis aliter distaret: cum tales partes sint infinite, tunc infinite nove distantie essent causate.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: illud (70vb) quod est obiectum sensus est verum ens reale, sed relationes tertii modi sunt huiusmodi, igitur. Maior patet, quia sensus non capit entia intentionalia. Sed patet minor, quoniam visus vere iudicat de distantis et propinquitatibus corporum et de unione ipsorum et contactu, que omnia sunt relationes tertii modi. Secundo sic: relatio est in distincto predicamento a suo fundamento, igitur. Consequentia patet per Philosophum, qui dicit 6 Methaphisice ens reale primaria divisione dividitur in decem predicamenta. Sed patet antecedens, quia duplicitas est in genere relationis et quantitas in qua fundatur est in genere quantitatis.

Tertio sic: illud quod est debilioris entitatis omnibus aliis rebus est res distincta ab omnibus aliis rebus, sed omnis relatio est huiusmodi, unde Commentator 11 Metaphisice, commento 19, ait quod relatio est debilioris esse omnibus aliis predicamentis.

Respondeo. Ad primum, concedo conclusionem, scilicet quod relatio vel distantia sit ens reale, ut probat argumentum, sed nego quod differat a suo fundamento, et hoc non probat argumentum.

Ad secundum dico quod Aristoteles non vult dicere quod omnia que ponuntur in diversis predicamentis differant realiter secundum esse suum quod dicunt in recto, sed voluit dicere quod omnia predicamenta ideo dicuntur distincta quia intentiones vel nomina in diversis predicamentis posita significant vel connotant distinctas et diversas res, et sic concedo quod relatio connotat rem distinctam a fundamento.

Ad tertium dico quod ideo Commentator vocat relationem debilioris entitatis non quod ipsa res que est relatio sit debilioris entitatis a fundamento quia est una res, sed quia facillime res que est relatio definit esse relatio.

Ad argumentum principale in principio questionis potest dici sicut ad primum contra primam conclusionem.